This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ll 17. 260.

Bd. 1873.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

Recd. 18 February, 1871.

SCHOLIA VETERA

IN

M. ANNAEI LVCANI BELLVM CIVILE.

HERMANNVS GENTHIVS

E CODICE MONTEPESSVLANO H. 113 EDIDIT EMENDAVIT

COMMENTARIO INSTRVXIT.

BEROLINI A. MDCCCLXVIII.

TYPIS F. GVIL. NIETACKII.

1871, Feb. 18.
Salisbury Fund.

In M. Annaei Lucani codice, qui e Buherii bibliotheca in bibliothecam scholae medicorum Montepessulanae translatus est cuiusque auctoritati ab Oudendorpii inde aetate plurimum editores Lucani tribuerunt, extant pauca quaedam scholia foliorum marginibus aspersa, alia quidem atque ipsa carminis uerba, eiusdem tamen saeculi noni manu exarata. Quae scholia cum Doruillius, qui in Oudendorpianae editionis usum olim contulit illum codicem, neglexerit prorsus neque nostra aetate Steinhartius, fortasse poetae carmini magis quam commentorum relliquiis intentus, in disceptationem uocauerit, ante hos duo annos, cum ipse Montepessulanus liber insigni eorum liberalitate, qui et in Franco-Gallia et in Borussia reipublicae praesunt, Mimelam, ubi tunc temporis degebam, mihi transmissus esset, descripta enotataque iam publici iuris sum facturus. Neque uero rerum quae in iis contineantur grauitas neque uerborum quae in iis insit diligens aut docta explicatio ut ederem me mouebat, sed illud spectabam, ut scholiorum Lucanianorum historiae a C. Fr. Webero incohatae, ab Vsenero '*commentis Bernensibus*' et '*adnotationibus*' quae sunt '*super Lucanum*' propediem edendis magnopere promouendae incrementum quantumlibet afferrem. Iacet enim ea litterarum antiquarum pars mirum quantum neglecta ac deserta, ex quo Weberus e compluribus libris manuscriptis scholia in Lucanum collecta a. MDCCCXXXI edidit. Qua in re illi uiro de Lucano optime merito incommode accidit, quod ingenti scholiorum farragine obrutus paene atque oppressus antiqua et recentia non satis dignouit et Vossianorum codicum auctoritati nimis subtraxit. Illud enim iam initio disputationis meae affirmare possum scholia a Webero collecta non referre imaginem nedum sanguinem et neruos 'adnotationis super Lucanum' nec antiquissimi commenti in Lucanum, quod a Vacca quodam esse scriptum Weberus ipse ostendit: neque in iis quidem scholiis, de quibus dicere coepi, Vaccae commentum, sed fortasse disiecti grammatici ut ita dicam membra agnoscentur. Sed uideamus rem ipsam.

Scholia in margine libri Montepessulani ascripta magnam partem sunt mutila, ita tamen ut aut aliis scholiis adhibitis aut ubi non cum aliis faciunt facili

plerumque coniectura suppleri possit, quod saeua barbaraque ligatoris manu cum chartae ipsius parte praecisum interiit: ut I 7 108 598 604 II 70 225 406 III 202 281 586 IIII 14 34 45 47 57 59 71 87 99 114 126 810 VI 427 689 VIII 180 407. Pauca negotium praebent medentis manui: ut I 473 II 70 III 202 IIII 769. Explicantur terrarum urbium gentium fluuiorum montium nomina in scholiis I 404 *Varus,* 473 *Meuania,* 580 *Campus Martius,* II 46 *Cannae,* 50 *Massagetes,* 138 *Caudinae furculae,* 401 *Pisae,* 406 *Crustumium,* III 199 *Strymon,* 205 *Pitane,* 281 *Arimaspe,* IIII 10 *Celtae,* 21 *Cinga,* 23 *Hiberus,* 63 *Nabataea,* 71 *Calpe,* 83 *Pyrenaeus:* ad mythologiam aut historiam spectant scholia I 108 *Arsacidae,* 122 *piratica proelia,* 544 *Thyesteae Mycenae,* 552 *Thebani rogi,* 575 *tela Lycurgi,* 665 *Orion,* II 70 *Marius,* 221 *Sylla,* 578 *piratae,* IIII 4 *Afranius et Petreius,* 57 *uector Helles,* V 477, VI 40 *castella Caesaris,* 303 *P. Sylla,* 311 *Scipio,* 350 *aequoreus Achilles,* 354 *pharetrae Herculis,* 357 *Echioniae Thebae,* 365 *Nessus,* 368 *Phoebus,* 376 *Titaressus,* 392 *Lernaeae paludes,* 427 *Dodona.* Ad grammaticam pertinent I 228 *tenebrae,* 604 *ancilia,* 625 *omentum,* II 50 *Massagetes,* 89 *mapalia,* 225 *coitur,* 364 *suppara,* III 586 *aplustra,* 756 *naualia,* III 15 *arcus,* 380 *murra,* 439 *uaris,* 800 *signifer,* V 27 *comes,* 228 *heu,* 396 *iurantur,* VI 179 *strido,* 679 *cerastes,* 689 *strix,* VII 855, VIII 180 *arctophylax,* X 187 *fastibus.* Quorum scholiorum nonnulla ubertate uerborum adeo carent, ut glossis inter lineas insertis sint simillima, alia tenui quodam dicendi genere, ut fere decet grammaticos, incedunt, e reliquis nec affluit ullum uerborum copia nec breuitate laborat. Atque illud quidem primo statim aspectu docemur extare in libro Montepessulano non scholiastae cuiusdam adhuc ignoti commentum sed scholia singula, quae utrum casu et temere sint conflata an ex uberioribus scholiis decerpta et delectu ad quamlibet rationem instituto aspersa, uidendum erit: itemque erit quaerendum, utrum medii aeui scholasticus quidam hinc illinc collecta aut excerpta asperserit an referant antiquioris et peritioris manus uestigia.

Ad rem ipsam accedo. Atque disputationis initium inde capiam, ut earum rerum quae ad aetatem qua scholia orta sint definiendam pertineant adcurata peruestigatione quasi gradibus quibusdam ad ipsam aetatis definitionem peruenire adgrediar. Codex ipse, ut Iaffeus, uir eiusmodi rerum peritissimus, beneuolentissime me docuit, saeculo nono est scriptus, quod hic pluribus demonstrare non attinet: neque eodem auctore manus, quae scholia adiecit, inferioris est saeculi habenda. Origo autem ipsa scholiorum altius repetatur necesse est. Nam cuius manu exarata sunt scholia, eundem eorum auctorem non fuisse clarissime apparet. Plurimi loci sunt corrupti: litteris aut male pictis aut iam euanescentibus aut uerbis parum intellectis grauissima inrepserunt menda. Pauca apponam. Scribitur I 108 Arſe pro *Arsace,* Silur pro *Siluii,* 404 edigustiniſ pro *ex Ligustinis,* IIII 57 fr&ſfū pro *fretum,* confixo fratro pro *cum Phrixo fratre,* VI 42 go•gaſ pro *gyrus.* Accedit altera res. Compluribus locis uerba carminis Lucaniani inrepserunt in scho-

liorum ordinem et coniuncta cum iis sine ullo sensu perscripta sunt: ut IIII 57—63 et 116. Quorum locorum priorem sic adponam ut in codice scriptus extat:

. . . . lector helleſ. helle enī
. . . . te deuehebatur. unde in mare
. . . . pſa helleſpontiacū dicitur fr&ſrū
. . . . ÷ autī confixo fratro. Poſtquā
. . . . cep̄ ſol in arietiſſigno ẽe. dicit
. . . . đ martiaſ quando initiū ÷ ueriſ
. . . . do piſcibuſ in arietē tranſit. Atq;
. . . . ī duoſ equinoctia librę et ari&iſ.
. . . . ud dr̄ qt̄ ÷ VIII aprilis. Solere
. . . . de eo ſigno in quo ſol fuerat dubi
. . . . ÷ Vt uirgiliuſ aut uid& aut uidiſſe
. . . . p nubila uultum.

Locum infra restituam et emendabo. Nunc addo, quo rectius de re ipsa possit iudicari, in libri Montepessulani scholiis uerba Lucani uulgo non praeponi sed signis quibusdam aut lineolis additis, quo sint referenda, indicari. Itaque corruptelis eius loci quem supra perscripsi fit ueri simile scholia libri Montepessulani descripta esse e libro Lucani manuscripto, in cuius margine commenta quaedam extarent ita quidem scripta, ut quae uerba poetae essent explicanda, ut in scholiis fere fit, anteponerentur, deinde lineola recta aut puncto seiunctae explicationes sequerentur. Illud quoque coniectura adsequi possumus in illo libro scholia ad unum locum pertinentia continuo ordine, interpositis poetae uerbis, exarata fuisse, quod et loco supra prolato et infra adnotatione critica satis docebitur.

Quae cum ita sint, haud temere affirmabimus saeculo nono descripsisse librarium quendam illa de quibus agimus scholia e codice, in quem aut saepius describendo aut inscitia neglegentiaque librariorum aut propter characteris genus minus iam notam haud pauca inrepserant menda. Quod archetypon utrum ad septimum saeculum an ad sextum referendum sit dubitari potest. Nam de octauo saeculo qui cogitet neminem credo esse futurum; adeo ea quae iam proferentur ab illius saeculi ingenio ac more abhorrent. Quod enim ad scribendi scientiam, qualis in scholiorum uerbis agnoscitur, uides scribi in libro Montepessulano per *e* simplex pro *ae* I 473 *h*(iber)*nie*, II 70 *cedem*, 89 *edificia*, III 23 *preſtat*, 46 *ceſariſ*, 58 *equinoctia*, 63 *nabateę*, 107 *celo*, 126 *flamme*, V 229 *queriſ*, VI 354 *philoctete*, 392 *lernea*, VII 199 *egiſ egidiſ*, 885 *equaliſ*, per *ę* pro *ae* I 522 *polinicę*, 575 III 199 *thracię*, 580 *Syllę*, 604 *quę cęlo*, II 50 *scitię*, 70 *cinnę*, 128 *caudinę furculę*, IIII 30, VI 45, VII 701 *cęſar*, V 719, VI 303 *cęſariſ*, III 266 *cęſare*, IIII 10 *italię-hiſpanię*, V 53 *luę*, 58 *librę*, 63 *nabateę*, 99 380 *quę*, 107 *cęli*, VI 427 *ollę dedicatę*, X 187 *quartę*, per *i* pro *y* proferri I 522 *polinicę*, II 50 *scitię*, IIII 380 *cristalli*, VI 368 *ciclopum*, VIII 180 *arctophilax*, per *y* contra pro *i* I 122

pyratica, 665 *ſydera,* IIII 5 *hyſpania* (contra 10 et 83 *hiſpanię,* 99 *hiſpania*), 21 *hyberum,* 71 *hymbreſ.* Sed talibus rebus nihil proficimus ad scholiorum aetatem definiendam, etsi constat *i* pro *y* in uocabulis graecis praeoptatum esse a uiris saeculi quarti quintiue eruditis et bene litteratis et *e* pro *ae* in bonis iisque antiquissimis libris saepius ante uocales quam ante consonantes litteras admissum esse. Neque iis locis quicquam proficitur quibus *h* aut omittitur ut II 50 *ſcitię,* IIII 23 *yberus,* 380 *umor,* V 229 *abere,* VI 365 *erculiſ,* VIII 954 *ero* aut additur ut IIII 21 *hiſ,* 71 *hymbrem:* neque iis quibus scriptum extat *frixo,* IIII 57 *philoctetae,* VI 354 *paphiam,* VIII 458 neque iis quibus bene scribitur *quattuor,* II 70 *exilio,* II 70 *inpoſito,* I 575 *inpoſitum,* 665 *septentrio,* IIII 71 *uenundandum,* 126 (*irritus* IIII 46). Multo plus tribuendum est scripturae *quot* pro *quod* IIII 58 *opidum,* II 406 ut saepe in optimis libris: *Metridatem* II 70 (cf. II 578) ut in titulo musei Campani MITREDATIS est C. I. L. 1065, *diceſſit* pro *discessit* I 544 cuius generis sunt in Mediceo Vergilii A. II 612 *ſucitat,* in Palatino Bucol. II 64 *laciua,* in Romano Georg. II 496 *dicordia: Theocles* pro *Etheocles* I 552 ut *Recthaeus* pro *Erechtheus* in Bobiensi comm. in Cic. orr. 137, 5: *Minternensium* II 70 ut *augeratis* archet. Prisciani I 27, 17 (Hertz) *titelo* I. L. S. Orelli-Henzen 6371: *pompeianiſ* pro *pompeianuſ* IIII 47: quae omnia sextum septimumue magis redolent saeculum quam octauum: atque cum optimorum librorum eorumque antiquissimorum consuetudinem prae se ferant, tum uulgaris linguae aperta habent uestigia. De scriptura uocabuli quod est '*haec bratteola, huius bratteolae*' pluribus disserendum est, quia lexicographos minus recta afferre uideo. Etenim Forcellinius, ut alios taceam, scripturam '*bracteola*' meliorem existimauit et s. u. *bractea* addit: '*scribitur et brattea, sed minus recte*' haud dubie secutus Pierium, qui ad Verg. Aen. VI 208 docet, eos qui '*brattea*' duplici TT scripserint deceptos esse eo, quod in characteribus Langobardicis C et T litterae eadem paene forma figurentur. Litteras C et T saepissime errore confusas esse et mutatas notissimum est. Sed quod ad uocem '*haec brattea*', iam Lachmannus comment. in Lucret. p. 253 sq. monuit uidendum esse, ne barbaram consuetudinem sequantur ii, qui scribant *bractea* ut *mactea blacta Actius Actis auctumnus arctus farctus mulcta.* Nam in Vergilii Aen. VI 209 Romanus et Mediceus exhibent '*brattea*', quos Wagnerus in orthogr. Vergil. non curauit, neque aliter exemplaria Martialis VIII 33, 6 IX 62, 4 item in Prudentii *περὶ στεφ.* X 1025 *brattealis,* XII 49 *bratteolas,* Bambergensis Plinii XXXIII §. 51 XXXVII. §§. 105 106 *brattias brattea bratteis,* in Iuuenalis sat. XIII 152 Pithoeanum exemplar *bratteolam,* grammaticus Eichfeldii p. 444 '*brattea; non brattia.*' Adde quod Lucretii quadratus IV 727 praebet *bratieaque* pro *bratteaque,* Parisinus R Ouidii A. A. III 232 *brattea,* BRATTIARIORVM inscr. 4067 Orell., (sed BRACTEARIVS et BRACTEARIA in inscr. 4153 Orell.) *bratteatas* denique Bambergensis et Reichenauensis Martiani Capellae I 76 quos Eyssenhardtium meum secutum esse uellem. De exemplaribus Arnobii apud quem Opp. VI p. 205 uox '*bratteola*'

occurrit, mihi non constat, utrum 'bratteola' an 'bracteola' ibi scriptum sit. Papias saeculi undecimi lexicographus, profert *brachtea* et *brachteola*, sed ne Ioannes Ianuensis quidem, qui saeculo tertio decimo fuit, aliam formam profert praeter '*haec bratea*.' Integra eius apponam uerba: '*Bratea a bracos quod est breue dicitur haec bratea orum et in plurali numero tamen inuenitur et neutro genere vel dicitur a brate greco quod lamina auri est et inde bratea, teorum: tenuissima auri lamina vnde haec brateola, teole dimi. parua brata. Bratea etiam vel brateola dicitur campanula aurea vnde brateatus ta tum i. brateis ornatus.*' Rectam scripturam glossaria quoque uetusta Cangii ostendunt '*brattea-πέταλον πέταλον-bratteum lamina*': neque eae formae quae littera 'r' ut saepe in 'l' mutata originem duxerunt '*blattea blatteum blattearius πεταλουργός*' ad aliam scripturam referuntur. Itaque bene se habet illud '*bratteolis*' in codice Lucani Montepessulano eiusque auctoritati magis suffragatur quam Vossiano alteri '*bracteolis*', quod in eo est, et Berolinensi '*baltheis*.'

His quae de uocabulorum scriptura adhuc disputata sunt apte subiungi poterunt quae de uocabulorum quorundam forma uidentur dicenda esse. Offendat enim aliquis in formis quae sunt *aplustra* III 586 et *Crustumium* II 406. Sed in his quoque scholiasten artis peritum inueniemus. Nam Priscianus institt. VII 15, 74 (p. 350 Hertz) docet '*aplustre*' *quamuis faciat ablatiuum* '*ab hoc aplustri*', *nominatiuum tamen pluralem non solum in* '*a*', *sed etiam in* '*ia*' *terminat: et* '*aplustra*' *enim et* '*aplustria*' *antiqui protulisse inueniuntur.*

Cicero in Arato (fr. XXII. p. 522 Or.):

Nauibus absumptis fluitantia quaerere aplustra.

Caesar in Arato (u. 345):

Fulgent Argoae stellis aplustria puppis.

'*Aplustra*' protulit Lucretius II 555 et '*aplustris*' IIII 437 eaque forma in '*a*' terminata occurrit in scholiis in Iuuenal. sat. X 136, in Berolinensi libro Festi nisi quod '*amplustra*' ibi scribitur, in glossario Scaligeri '*aplustra πτερὸν πλοίου ὡς Ἔννιος*', in glossis Gothofredi (cf. Lind. C. Gr. L. I. p. 312) '*aplustra ἄσμαλτος καὶ τὸ ἀκρὸν τῆς πρώρας*', in glossis cod. Parisini regii 7641 '*amplustra*' et in glossario anglosaxonico Bruxellano saeculi decimi '*aplustra* geredru, gereðor, plur. gereðru.' Suo iure igitur scholiasten dico protulisse 'aplustra', etsi bene scio 'aplustria' prolatum esse a Germanico quoque 492 624 688 et a Silio X 325 et a Festo et ab Apuleio. Lexicis uero inserendae sunt formae '*hoc aplustrum*' a quo nominatiuo '*haec aplustra*' Cicero Lucretius Glossographi '*his aplustris*' Lucretius duxerunt, et '*hoc aplustre*' a quo '*haec aplustria*' Germanicus Silius Festus Apuleius.

At quam falsus est et quam parum doctus ille qui scholia Montepessulano libro aspersit cum scribit ad II 406 '*Crustumium. opidum in agro Sabino!*' Nonne hoc loco ignorantiae et barbariae conuincitur? Nonne in Phocae artis IIII 7 p. 339 Lind. rectissime scribitur '*item urbium nisi quae natura pluraliter efferuntur ut Athenae Thebae . . Crustumeri Cosae Arpi Puteoli Ostia?*' Nonne iam Lindemannus

ad h. l. recte 'Crustumeri, inquit, *grammatico reddendum fuit. cf. Verg. Aen.* VII *631. Forma* Crustumiae *non in usu fuit, sed* Crustumerium *et* Crustumeria. *Ex Liuio* I *9 affertur* Crustumium *quod ipsum uereor ne ortum sit ex scripturae compendio.*' In Liuii loco laudato non *Crustumium* extat, sed *Crustumini*, qua gentilis nominis forma uidetur sumi nomen urbis ipsius Crustumium, sicut recte ad h. l. Weissenbornius adnotauit. Si leges ponere nolumus, quibus plura excipienda sint quam subicienda, tenendum erit triplicem gentilis nominis formam inueniri: *Crustumina tribus* occurrit apud Cic. Balb. 25, Planc. 13, Liu. XLII 34 et in inscriptionibus R. N. 5781 5208 5226 3274 in quibus, nam suspectam 5212 omitto, 'CLUSTUMINA' est pro 'Crustumina': eadem forma usi sunt Liu. I 9 10 11, V 37, XLI 13, Plin. N. H. XXIII 7, 62 et Festus, qui Crustuminam urbem in Tuscia ponit, unde interpretes ad locum Vibii Sequestris infra laudandum de duobus eiusdem nominis oppidis cogitauerunt. '*Crustumerina secessione*' Varro L. L. V 41 protulit eadem formatione usus qua Graeci '*Κρουστομερῖνος*' dixerunt quod est apud Dionysium Halicarnassensem et Stephanum Byzantium, quorum ille urbis nomen *Κρουστομερία*, hic *Κρουστομερίον* protulit. '*Crustumius*' autem dixit Vergilius in Georgicon II 98 *Crustumia pira*, pariterque de eadem re cum loquitur Plinius N. H. XV §. 53 (sed '*Crustumina pira*' id. XXIII 115). Iam quod ad oppidi nomen '*Crustumeri*' propter metrum heroicum id finxit Verg. Aen. VII 631, sed *Crustumeria* protulit Liuius III 42, *Crustumerium* Plin. N. H. III 5, 9 et Seruius ad Vergilii locum modo laudatum. *Crustumium* uero dixerunt oppidum Silius VIII 367 '*Antemnaque prisco Crustumio prior*' et Seruius ad Verg. Georg. II 98 '*Crustumina pira sunt ex parte rubentia ab oppido Crustumio nominata*.. Vides parum consulte egisse Lindemannum cum Phocae grammatico formam '*Crustumeri*' obtruderet, quae non nisi unius uersus Vergiliani eiusque numerorum necessitate coacti nititur. Dubitari nequit, quin illo loco, quo de urbium nominibus plurali tantum numero prolatis agitur, scribendum sit '*Crustumeria*', quae una forma nominis pluraliter in usu fuerit. Atque in hanc rem cum semel inciderimus, pauca de fluminis Crustumii nomine eiusque forma addam. Magnopere enim uereor ne 'Crustumius' antiquorum nemo protulerit, sed a grammaticis inuentum in lexica et philologorum et geographorum irrepserit. In Vibii Sequestris libris est p. 8 ed. Oberl. 1778 '*Crustumium — in mare Hadriaticum fluit*' neque aliter est in Plinii N. H. III 15, 20 '*fluuius Crustumium*' neque Lucani exemplaria quotquot in editionis futurae usum contuli II 406 aliam exhibent formam: unum Estense a Spanhemio collatum, quod nullius fere auctoritatis est, '*Crustumiusque rapax*' praebet. Quam formam caue Lucano obtrudas: itemque noli putare in eo quod in tabula Peutingeriana est RUSTIMUM pro CRUSTIMUM ullum inesse uitium praeter C uulgaris sermonis consuetudine abiectum. Eiusdem generis est forma '*Varum*' quae extat in altero Parisiensi Plinii N. H. III 4, 5, in exemplaribus Pomponii Melae II 4, 9, Itin. Anton. p. 297 P., in tabula Peutingeriana. Haec hactenus.

Sed ut unde deflexit iam redeat disputatio nostra, supra strictim et quasi in transcursu tetigimus quasdam uocabulorum formas plebeias uel uulgares, quae quidem ita sunt comparatae, ut in his scholiis atque in hac de aetate scholiorum quaestione quam instituimus silentio praetermitti non debeant. Etiam plus iis tribuendum erit, si in usu quoque uerborum et in dicendi genere uulgaris sermonis consuetudinem deprehenderimus. Perlustrantes igitur uniuersam scholiorum Montepessulanorum seriem iudicium non feremus de omnibus quaecunque a bonorum scriptorum consuetudine abhorrent (peruersum hoc esset in scriptore qui prius quam quinto saeculo certe non fuit) sed de iis tantum, quae quamuis e cadentis imperii ingenio iudicata tamen habeant propter quod notentur. Itaque non haerebimus in usu praepositionum cum ciuitatium nominibus positarum, e quarum numero ut exemplo utar illud 'apud urbem Romam' quod quidem in scholio ad I 604 pro 'in urbe Roma' occurrit, nihil habet offensionis. Nam iam in Taciti libris reperias Ann. III 27 *apud Brundisium,* 37 *templum apud Pergamum,* 57 *templa apud Capuam Ioui, apud Nolam Augusto,* 62 *amphitheatrum apud Fidenam:* alia eiusdem generis multa. Qui usus numquam exinde intermissus quibusdam scriptoribus in deliciis fuit ut Ammiano Marcellino e cuius libris primo statim aspectu et quasi in transcursu petita haec appono: XXVI 1 *in fullonio natus apud Epiphaniam, Ciliciae oppidum,* XXV 3 *natus apud Constantinopolim* XXVIII 6 *qui Seuerum apud Carthaginem inuentum* XXX 7 *natus apud Cibalas, Pannoniae oppidum* et ibidem '*indutibus imperatoriae maiestatis apud Nicaeam ornatus.*'

Praepositio 'in' cum ablatiuo nominis ciuitatiium a ferreae aetatis scriptoribus saepissime ponitur: caue autem omissam putes in uerbis quae sunt V 477 *remanserat Brundisio.* Nam 'Brundisio' ablatiuus habendus est non subaudienda praepositione 'in' positus. Etenim quarto p. Chr. saeculo exeunte uel quinto ineunte increbuisse morem in loci significatione datiuo nominum tertii ordinis, nominum autem qui e primo et secundo ordine ueniunt ablatiuo utendi auctor est Charisius in Inst. gramm. p. 188 K. ita quidem ut diceretur 'Carthagini sum, sum Roma, sum Beryto.' Praepositione 'pro' usus est scholiastes ad X 187 qua modum alicuius rei ac rationem significaret. Atque cum '*per errorem*' post Ciceronem plurimi dixerint, ueror ne eadem ui 'pro errore' a nullo scriptore ante quartum quintumue saeculum sit prolatum. Locum cuius testimonio illum usum muniam non habeo praeter Legis Salicae tit. 24 §. 24, ubi est '*Si quis ascum de intro claue repositum et in suspenso pro studio* (i. e. consulto, de industria) *positum furauerit*' etc. Qui locus, cum saeculo quinto exeunte ea lex litteris mandata sit, egregie congruit illi tempori quo orta esse scholia nostra iam in iis rebus de quibus adhuc disputauimus suspicio subnata est. Alia addo.

'Manere enim cum aliqua', quod in scholio ad I 544 legitur, uulgo dici sua aetate Donatus ad Ter. Andr. II 5 extr. expressis uerbis docet. 'Vitiare', quod in scholio ad VI 365 legitur, item esse plebei sermonis fabulae co-

micorum quibus proprium est demonstrant: ut inuenitur in Plauti Aul. perioch. 5 *'eius filiam Lyconides uitiarat'*, in Terenti Eun. IIII 3, 12 *'uirginem uitiare'* IIII 4, 37 *'uirgo uitiata'*. Qua in re non erit quod pluribus moneam talia uerba a saeculi quarti et sequentium saeculorum scriptoribus adhibita fluxisse non e comicorum lectione sed maximam partem e sermonis plebei fontibus, qui inde a Plauti aetate non tenui quodam riuulo sed uberi continuoque flumine ad prima medii aeui saecula durauerunt. — His uulgaris sermonis uestigiis adnumero adiectiuum nomen deauratus positum in scholio ad III 231 *'gens Scythiae quae deauratis bratteolis ornamenti uice comas ambit'*. Nam deaurare deauratus deaurator non sunt bonae notae uocabula sed e cotidiano sermone uel e tabernis opificum petita. Inuenitur apud Tertullianum de idolol. c. 8 *'soccus et baxea quotidie deaurantur'*, in uulgata Bibliae interpretatione ps. 45, 10 *'in uestitu deaurato'*, in Imp. Const. Cod. X 64, 1 *'musiuarii deauratores albini'*, in Cod. Theod. X 22, 1 *'bucculas tegerent argento et deaurarent;'* quattuor paene saeculis ante apud Senecam in epistula 76 ubi est *'cui deauratus est balteus'*. Quem Senecae locum ne quis urgueat. Nam Senecae orationem non se adplicare ad scriptorum optimorum qui ante eum erant exemplum et cum locutionibus a primi saeculi usu discrepantibus tum uocabulis aut nouatis aut ex usu cotidiano humiliue haustis abundare constat. Quod satis iam docetur iis quae incoharunt Boehmerus in dissertatione de L. Annaei Senecae latinitate (Olsnae 1840) et Opitzius in specimine lexicologiae argenteae latinitatis (Numburgi 1852). — Paene idem quod de nomine adiectiuo deauratus a um dixi, cadit in uerbum obturandi quo scholiastes usus est in scholio ad VI 45 *'quia omnia flumina obturauit Caesar per quae stipendia ueniebant Pompei'*. Quod obturandi uerbum etiamsi apud Ciceronem et Horatium inueniatur neque grammaticis adhuc uideatur in suspicionem uenisse, equidem uulgaris sermonis esse censeo. Sane id legitur prosa oratione apud Catonem Ciceronem Varronem Vitruuium Columellam Plinium Marcellum, et apud Plautum Lucretium Horatium poetas. Quantus scriptorum ordo! Quanta testimoniorum copia! Quid uero? Ex his quos modo laudaui rei rusticae scriptores sunt tres, quibus quartus addendus est Sabinus Tiro e cuius libro Cepurion Plinius quae XIX 10, 58 habet excerpsit, medici duo, nam alter Plinii locus XX 6, 21 medici cuiusdam libris debetur, alius architectus alius comoedarum alius sermonum scriptor: atque ipsum genus nimirum adducit comicos satiricosue poetas cogit medicos trahit architectos rei rusticae scriptores omnes denique qui in scribendo quamlibet artem aut quodlibet opificium tangunt, uti ad cotidiani usus et tabernarum uocabula descendant. At Ciceronis et Lucretii restant loci et obstant. Quod in huius carmine IIII 867 inuenitur *'patentem per membra ac uenas ut amorem obturet edendi'*, non mirabitur qui uocabulorum Lucretianorum et indolem et differentiam adcuratius explorauerit. Cicero uero de fato c. 5 sermone prorsus humili utitur, cum facit Zopyrum physiognomonem dicentem *'stupidum esse Socratem et bardum: quod iugula concaua non*

haberet, obstructas eas partes et obturatas esse'. Iam quis est quin in talibus etiam humiliora admitti meminerit? Ipsa ea re quod profertur obturatas iunctum cum obstructas prorsus synonymo neque plebeio, satis ostenditur quid sibi uelint ista uerba. Nam plebei sermonis fuisse obturandi uerbum etiam similius ueri fit ea re quod Bibliae interpretatio latina saepius eo uerbo utitur: complures locos inde decerptos habet Ioannes a Ianua (ed. Venet. 1497) s. h. u. *Obturo dicitur obturo ras raui rare i. claudere vel stipare. vnde obturans tis gene. communis Vnde propheta. Sicut aspidis dure et obturantis aures suas .i. claudentis. Et obturatus ta tum et producit tu. Vnde in Aurora dicitur Lex ait. Ora boui non obtures operanti. Vnde in Proverbiis CCI. ca. Qui obturat aures suas ad clamorem pauperum.*' — Testis denique ut saepe in eius modi rebus est Italorum qui nunc sunt lingua, qua atturare et breuiore forma turare = farcire obstruere impedire morari mutata praepositione ab eo quod fuit obturare ductum esse docet Diezius in lexic. etymol. p. 38: Hispanos etiamnunc aturar eadem significatione et turam aggerem dicere uel molem idem eodem loco affirmat. — Huc postmodum quoque pertinet quod legitur in scholio ad I 665 quae forma a uiris doctis ex aliquot scriptorum exemplaribus exulare iussa, in aliis suspecta, uno Liuii loco I 9 exemplarium consensu defenditur: in inferioris aetatis litteris fieri poterit ut saepius inueniatur. Unum restat uocabulum de cuius usu disseratur. Stipendia enim in scholio modo laudato dicta sunt pro commeatibus uel rebus ad exercitum sustentandum necessariis: qui quidem usus infimam redolet antiquitatem. Eodem modo qui id uocabulum protulerit antiquitatis scriptor, equidem nescio: medii aeui affert Cangius scriptorem Vitae S. Maximi (I p. 93 Iun.) ubi haec sunt: '*eat et ipse uobiscum et accipiat stipendia corporis*' et chartam Hugonis Magni a. 940 scriptam (ap. Mabill. Annal. III p. 709) in qua leguntur uerba: '*concessimus ad praefatum S. Iuliani monasterium in uictualibus stipendiis monachorum ceterisque eorum utilitatibus*' etc.

His quae adhuc disputauimus efficitur illa de quibus agimus scholia in Lucanum profecta esse a grammatico quodam qui quamuis uersatus esset in scriptorum antiquorum lectione tamen ipse cotidianae uitae uulgique usum a litteris non arceret: eamque ob causam illi aetati ascribendus uidetur qua latinae linguae opes medio quod dicitur aeuo traderentur.

Quem quidem grammaticum sexto p. Chr. saeculo fuisse inferiorem nec uerba arguunt nec, ut hoc iam addamus, res. Etenim ut ad aliam disputationis partem delabatur oratio mea, quaestionem et de fontibus scholiorum nostrorum et de necessitudine quae cum scholiis nunc notis iis sit, adhuc omisi: quae tamen quaestio summa fere disputationis meae est futura. Atque primum quidem de fontibus agamus. Scriptorum nomina in scholiis nostris non laudantur nisi Vergilii et Prisciani. Vergilii tres loci laudantur in scholiis ad I 222 III 60 104: e Prisciani institutionibus grammaticis praecepta quaedam adponuntur quod sex locis factum est

II 225, V 27 396, VI 179, VII 855, X 187. Ante sextum igitur saeculum non fuit scholiastes. Qui quibus scriptoribus praeter utrumque modo laudatum usus sit, ipse non indicat, peruestigatione autem adcurata rerum aliquatenus reperiri poterit. In scholio ad I 665 leguntur haec: 'Orion quidam puer. cui nomen ab urina inpositum est. Postmodum uero uenator effectus cum uellet cum Diana concumbere, eius sagittis occisus est et deorum miseratione relatus inter sidera.' Haec ex iis quae Seruius ad Verg. Aen. I 539 narrauit excerpta esse argumentis euincere non est opus: res ipsa et oculi docebunt. Sunt enim apud Seruium haec: 'Oenopion rex cum liberos non haberet, a Ioue Neptuno et Mercurio (uel ut quidam tradunt non a Neptuno sed a Marte) quos hospitio susceperat, hortantibus ut ab iis aliquid postularet, petiit ut sibi concederent liberos: illi intra corium immolati sibi bouis urina facta praeceperunt ut obrutum terra completis maternis mensibus solueretur. Quo facto inuentus est *puer cui nomen ab urina impositum* ut *Οὐρίων* diceretur: quod Dorica lingua commutatum est ut eo diphthongus in a uerteretur. Quod autem plerumque prima syllaba breuis inuenitur ut hoc loco cum sit naturaliter longa, Graecae rationis est: nam detractio fit *v* litterae et *o* remanet breuis: quomodo *οὔρεά τε σκιόεντα* pro *ὄρεα* et *πόησον* pro *ποίησον*. Et hoc quia *ω* est naturaliter longa: aut *ov* diphthongus. Ceterum si fit in proprio nomine dichronos ut omnes Latinae sunt propriorum nominum abutemur licentia ut in Artibns lectum est. *Orion ergo postea uenator factus* uelut trium parentum uiribus fisus *cum Dianae uim uellet inferre* ut Horatius dicit *eius sagittis occisus est:* ut Lucanus, immisso scorpione periit *sed deorum miseratione relatus inter sidera* signum famosum tempestatibus fecit.' Praeter Seruium eiusdem paene aetatis scriptorem Orosium dico a scholiasta nostro fuisse lectum et excerptum demonstrabo ac ne quis forte dubitet integra Orosii uerba apponam. In eo igitur scholio quod est ad II 70 de Mario et Sylla agitur uerbis haud raro ueterum scriptorum imaginem ac sonum ita referentibus ut suspicio moueatur ea ex Vellei Flori Ampeli aliorum libris hausta esse et concinnata. At nil eiusmodi opus est. Videamus ipsa uerba. In scholio sunt haec: 'Sylla, dux Romanorum, iussus suscipere erat bellum contra Metridatem in Asia. Marius qui septies fuerat consul affectabat ipse illud bellum peragere. *Quo Sylla cognito, uir impatiens, cum quattuor legionibus* contra eum iuit uolens etiam urbem incendere. Marius uero quoscunque potuit etiam seruilem manum *spe libertatis* contra eum frustra armauit. Qui mox *post magnam caedem suorum in Capitolium* fugit et cum ibi esset oppressus iterum *fugiens in Minturnensium paludibus infeliciter luto* delituit indeque *protractus et Minturnas deductus contrususque in carcerem percussorem ad se missum solo uisu exterruit. Deinde lapsus e uinculis in Africam transfugit* collectoque exercitu *continuo Romam reuersus Cinnae consuli societate scelerum iunctus est,* qui continuo omnes socios de exilio et uinculis liberauit ciuitatemque *ingressus plurimos consulares uiros interfecit* et maximam partem plebis.' Iam uero Orosii uerba uideamus quae sunt in eius Chronic. V 18: 'Marius Sylla

consule contra Mithridatem (Metridatem?) in Asiam cum exercitu profecturus in Campaniam tamen propter socialis belli reliquias consistentes *affectauit septimum consulatum et bellum suscipere Mithridaticum.* Quo Sylla cognito, *impatiens re uera iuuenis* intemperataque ira percitus, *cum* III *legionibus* primum ante urbem consedit ubi Gratidium Marii legatum quasi primam uictimam belli ciuilis occidit: mox urbem cum exercitu irrupit: *faces ad inflammandam urbem poposcit.* Omnibus metu addictis per Sacram Viam cito agmine in forum uenit. *Marius* cum permouere nobilitatem, inflammare plebem, equestrem deinde ordinem perarmare aduersus Syllam frustra tentasset, postremo *seruis spe libertatis* et praedae *ad arma sollicitatis* nequicquam repugnare ausis *tandem in Capitolium concessit.* Sed cum eo Syllanae cohortes irruissent, *magna suorum caede diffugit.* Ibi tunc Sulpicius Marii collega seruo suo prodente prostratus est. Seruum uero ipsum quod hostem indicauerat, manumitti, quod uero dominum prodiderat, saxo Tarpeio deici consules decreuerunt. *Marius fugiens* cum persequentium instantia circumseptus esset, *in Minturnensium paludibus sese abdidit: de quibus infeliciter luto oblitus* ignominioseque *protractus* turpi autem spectaculo *Minturnas deductus contrususque in carcerem percussorem ad se missum solo uultu exterruit. Deinde lapsus e uinculis in Africam transfugit* sollicitatoque ex Utica filio, ubi is custodia obseruatur, *continuo Romam regressus Cinnae consuli societate scelerum coniunctus est.* Igitur ad confligandam uniuersam rempublicam exercitum sibi in quattuor partes diuiserunt . . . . (c. 42 uersibus intermissis) . . Post Cinna consul cum legionibus *et Marius cum fugitiuis urbem ingressi* nobilissimos quosque e senatu et *plurimos consulares uiros interfecerunt.*'

Quid in tanto et uerborum et sententiarum concentu demonstratione opus est scholiasten sequi Orosium? Quis est quin primo statim aspectu sollertem grammatici manum agnoscat compilantis Orosii sapientiam et in sua scrinia transferentis ea quae pro operis instituto e copiose dictis in angusta deduceret? Itaque postquam hoc loco Orosium inter scholiastae auctores fuisse cognouimus, multo fidentiores adgrediemur corruptum uel mutilum locum qui est I 473 MEVANIA. *insula proxima h . . nie.* Meuaniam, Umbriae urbem antiquissimam, cum manu tum loci natura munitissimam, celebratam propter niuei coloris armenta, a Lucano carmine tangi uix est quod moneam. Mire igitur accidit, ut in scholiis nostris non extent similia eorum quae Seruius ad Verg. Ge. II 146 adnotauit: '*Meuania quae pars est Umbriae, partis Tusciae*' uel eorum quae in Berolinensibus et Vossianis scholiis sunt '*prouincia Italiae fecunda tauris.* Alterius cuiusdam Meuaniae nec Liu. IX 41 nec Tac. Hist. III 55, 59. nec Plin. III 14. XXXV 14, 19. nec Sueton. Cal. 43. nec Ptolem. III 1, 54 mentionem faciunt nec Itiner. Ant. p. 311 ita quidem, ut in geographorum lexico laudatissimo a Guil. Smithio conposito (Lond. 1857) ne uerbum quidem de altero quodam eiusdem nominis oppido addatur. Vnde igitur grammatico nostro tam remota reconditarum litterarum scientia? Cuiusnam insulae nomine explebimus lacunam inter litteras *h* et *. . nie* rasura ortam? Iam uide, quo

modo iterum ex Orosii historiis noster hauserit. Apud Orosium I 2 p. 28 Hav. haec leguntur '*Hibernia insula inter Britanniam et Hispaniam sita est .... haec propior Britanniae spatio terrarum angustior sed caeli solisque temperie magis habilis a Scotorum gentibus colitur. Huic* (sc. Hiberniae) *etiam Meuania* (in aliis codd. est *etiameunauia etiameunania etiameumonia) insula proxima est et ipsa spatio non parua, solo commoda, aeque a Scotorum gentibus habitatur.*' Habemus fontem unde scholion fluxit et restituemus litterarum et relliquiis et spatio egregie suffragantibus 'MEVANIA *insula proxima Hiberniae.*' Suffragabitur praeterea Papiae uocabularium saeculo undecimo conscriptum (ed. Venet. 1496), in quo leguntur haec '*Meuania. pars tusciae. Meuania. insula proxima hiberniae*' haud dubie e scholiis in Lucanum petita, ex quibus nonnulla hausisse Papias et ipse in prooemio uocabularii profitetur et multis locis manifestus est: ita ut suspicio sit fuisse in integris scholiis eadem omnia quae apud Papiam extant uerba. In Orosii autem uerbis rectius scribetur *Menauia* quod apud Bedam quoque legitur, cum eandem insulam Plinius IIII 16, 30 *Monapiam* dixerit: nam Anglis *Man* dicitur, Britannice autem ut Lhuydus saeculi septimi decimi scriptor testatur *Menavv.*

De Seruio et Orosio uidimus. Restat ut de Isidoro Hispalensi uideamus, ex cuius Originibus quot riuuli deducti sint per medii quod dicitur aeui litteras, omnibus patet in promptuque est. Sed cum antea demonstrarimus scholiasten hausisse e Seruii et Orosii scriptis, nunc inuestigandum erit quatenus Isidorus e uetere commento in Lucanum hauserit. Nam scholiorum in Lucanum partem ex Isidori Originibus fluxisse neminem puto fore qui sibi persuadeat. Usque adeo omnium rationum consensu efficitur hoc statui non posse: atque cum iam scholia a Webero edita quicunque leuiter tantum attigerit et properante quasi oculo comparauerit cum Isidori Originibus, plus quam triginta locis Isidorum commento uetere in Lucanum aeque ac Seruii commentis usum esse deprehensurus sit, magna est spes fore, ut 'commentis Bernensibus in Lucanum' et 'adnotationibus super Lucanum' ab Vsenero propediem edendis multo clarior certiorque lux huic rei afferatur. In epistulis ad Braulionem episcopum datis Isidorus ipse profitetur se 'opus DE ORIGINIBVS RERVM ex ueteris lectionis recordatione conlegisse atque quibusdam locis ita adnotasse ut extaret conscriptum stilo maiorum.' Qui quidem maiorum stilus certissime agnoscitur in iis quae iam sum prolaturus. Namque e scholiis nostris ad uerbum concinunt cum iis quae leguntur in Isidori Originibus haec tria I 7 c. Isid. XVIII 7, 9. I 625 c. Isid. XI 1, 30. VI 689 c. Isid. XII 7, 42 et maximam partem item tria I 228 c. Isid. V 31, 5 et XIII 10, 12. II 50 c. Isid. IX 2, 63. VIII 180 c. Isid. III 70, 8. Quos locos diligenter explorantibus nobis et adhibito iudicio comparantibus cum in ipsam quasi fabricam et officinam Isidori liceat inspicere, paullisper ea in re morabor. Agnoscimus igitur Isidorum explicationibus uocabulorum e scholiis petitis eos poetae locos ad quos illae explicationes pertinerent haud raro addidisse, deinde si res ferret adiecisse quaedam

aut proprio Marte conposita aut aliunde deriuata memoriaeue haerentia. Videamus iam ipsos locos. Ea quae in scholio ad I 7 leguntur '*Pila sunt arma iaculorum atque telorum a torquendo uel emittendo uocata*' cernimus referri ab Isidoro XVIII 7, 9 '*Pila sunt arma i. a. t. a. t. u. e. u. De quibus Lucanus (I 7)* '*Signa pares aquilas et pila minantia pilis*'. *Cuius singulare pilum dicitur*'. Quorum uerborum quae extrema sunt habent propter quod notentur. Isidorus enim illo quod DE HASTIS est capite explicandas uoces singulari numero omnes protulit exceptis quae sunt 'trudes' et 'uenabula', quas cum earum explicationem e commentis in Vergilium excerperet eodem modo plurali numero transcripsit quo 'pila' e Lucaniano scholio. Quae ad VI 689 de strige scholiastes dixit '*Strix nocturna auis habens nomen de sono uocis. quando enim clamat, stridet*' repetuntur item addito Lucani loco apud Isidorum XII 7, 42 '*Strix n. a. h. n. de s. u. q. e. c. s. de qua Lucanus* (VI 689) *Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur*' et ni fallor de suae aetatis superstitione additur ab illo '*Haec auis uulgo dicitur amma ab amando paruulos, unde et lac praebere fertur nascentibus*'. — Tertium scholion est illud ad I 625 '*omentum membranum quod continet intestinorum maiorem partem;*' quod refertur apud Isid. XI 1, 130 ubi haec sunt: '*Omentum m. q. c. i. m. p., quod ἐπίπλουν Graeci uocant. Disseptum intestinum quod discernit uentrem et cetera intestina a pulmonibus et a corde*'. Quibus e uerbis quae sunt '*quod ἐπίπλουν Graeci uocant*' fortasse in scholiis ipsis quibus Isidorus priora debet fuerunt sed in Montepessulano exemplari, ut saepissime in Graecis uocabulis alias librarios fecisse constat, omissa sunt. Reliqua uero Lindemannus male cum antecedentibus iunxit. Prorsus seiungenda sunt. Non enim alteram quandam omenti sed alius intestinorum partis explicationem continent. Deinceps explicantur ibi omentum disseptum caecum ieiunum uenter, quorum duo priora nunc male coniuncta quasi unius partis explicationem contineant leguntur. Itaque restituendus Isidoro est hic rerum ordo: XI 1, 130. *Omentum. membranum* etc. 131. *Disseptum. intestinum* etc. 132. *Caecum intestinum* etc. 133. *Ieiunum. tenue intestinum* etc. 134. *Venter* etc. — Atque cum ipsis iis scholiis, quae maximam partem tantum congruere et consentire supra dixi, quam arta intercedat Isidori Originibus necessitudo, satis cognoscetur uno exemplo adposito. Etymologia uocis 'hae tenebrae' a scholiasta prolata ad I 228 '*Tenebrae a tenendo eo quod tenent umbram*' bis occurrit apud Isidorum scilicet V 31, 5 '*Tenebrae autem dictae quod teneant umbras*' et XIII 10, 12 '*Tenebrae dicuntur quod teneant umbras. Nihil autem sunt tenebrae, sed ipsa lucis absentia tenebrae dicuntur sicut silentium non aliqua res est sed ubi sonus non est silentium dicitur: sic tenebrae non aliquid sunt sed ubi lux non est tenebrae dicuntur*'. Vnde quae in his de tenebrarum natura docentur petiuerit Isidorus equidem nescio: e scholiis in Lucanum ea esse uix crediderim. In prioribus manifesto uidemus quomodo Isidorus cum illius scholii, quo tenebrarum etymologia proferebatur, reuocaret memoriam, fluctuarit paullulum neque in uerbis sibi constiterit. Ad etymologias autem conligendas

uidetur Isidorus praecipue animum adplicuisse, cum uetus illud commentum in Lucanum legeret, nam in aliis rebus magnopere a scholiis discrepat ut Origg. IX 3, 15 : I 108 XVIII 12, 3 : I 604 XIX 3, 4 : II 364 XVIII 7, 3 : III 586 XIIII 8, 38 : III 755 IX 2, 114 : IIII 10 XIII 3, 36 : IIII 23 XIII 16, 8 : IIII 57 III 70, 23 24 : IIII 58 V 34, 3 : IIII 57 sqq. IX 2, 7 : IIII 63 XVI 12, 6 : IIII 380.

Quae cum ita sint, non errabimus statuentes scholia quae sunt in codice Montepessulano M orta esse saeculo sexto: sed utrum Vaccae sint adsignanda necne, demonstrare non poterimus quamuis certam quandam sententiam tueri cupientes. Si in errorem rapi nolumus, ne illud quidem definite dicere licebit, partem saltem scholiorum de quibus adhuc diximus ad Vaccam pertinere aut ad illos Lucani interpretes quorum mentionem inicit Hieronymus contra Rufinum uol. II p. 471 Vallars. Cui rei nox quasi offusa manebit, donec 'commentis Bernensibus' quae Vsenerus cum 'adnotatione quae est super Lucanum' coniuncta edet firmius quaestionis instituendae fundamentum iactum erit. Tum demum certioribus gradibus ingredientes antiqua et recentia, bona et uilia iudicare poterimus: nam Weberum scholia et delectu habito edidisse et antiqua atque recentiora miscuisse iam supra monui. Itaque nunc satis habebo indicasse cum scholiis exemplaris Montepessulani (M) ea quae sunt in Vossianis codicibus (VOSS. I et II) et in Berolinensi 35 (BC) his locis facere: III 281 IIII 4 10 20 23 34 53 56 57 58 63 87 99 114 116: praeterea plenioris scholii quod est in BC et VOSS. ad III 199 Montepessulanum habere prima uerba: in scholio ad IIII 71 cum BC facere, a VOSS. aliquantulum discedere. In altera parte sunt nonnulla scholia libro Montepessulano communia aut cum BC solo aut cum VOSS. atque eius quidem generis sunt in BC II 50 IIII 21 45 84: affinitate uel similitudine quadam tenentur I 108 VI 350. Vossianorum uero consentiunt cum nostris III 9 30 59 104 112: pleniora sunt sed proxime accedunt IIII 380 V 507 VI 354: similia sunt VI 427 430.

Non erit qui documentis argumenta uelit adiuncta, ut sibi persuadeatur scholia quae in M sunt artissimo uinculo cohaerere cum scholiis in BC et VOSS. Per se hoc patet. Verum enim uero cum ex his quae modo enumeraui scholiis ea quae sunt ad IIII 4 9 10 15 in Bernensi II quoque et quae sunt ad IIII 9 21 63 in Lipsiensi reperiantur, attendendum erit ad ea quae M propria habere etiamnunc uidetur scilicet ad I 7 97 222 228 404 473 544 552 575 576 580 598 604 625 665 II 46 70 89 138 221 225 227 265 361 364 368 401 406 578 III 179 202 205 208 215 266 413 586 755 IIII 47 83 107 126 439 449 769 800 810 V 27 188 229 396 477 719 VI 7 45 58 80 179 185 303 309 365 368 376 392 588 679 811 VII 114 149 269 685 701 855 VIII 180 458. Iam enim suspicio suboritur horum scholiorum haud exiguam partem aut in aliis commentariis aut in 'commentis Bernensibus' aut in 'adnotatione quae est super Lucanum' repertum iri nec dubito equidem quin in alterutro scholia ut I 122 II 70 401 IIII 47 71 pariter extent. Quodsi pars tantum utrique communis inuenietur, a uero non

aberrabimus longe statuentes scholia nostra non esse excerpta ex iis commentariis quos Vsenerus iamiam edet, sed ex aliis quibusdam commentariis. Nam excerpta esse neque ab initio sic ut nunc cernimus scripta, cum ex iis cognoscitur quae adhuc disputata sunt tum magis perspicietur ex iis quae sequentur. Scholasticum autem qui ea excerpserit fuisse saeculo sexto cum aliqua ueri similitudine inde colligi poterit, quod non in scholiis cum BC et VOSS. communibus sed in iis quae M propria habet insint omnia quaecumque in uerborum usu inferiorem aetatem oleant. Vnum subiungam locum quo quasi per transennam ostendam scholia nostra forte excerpta esse e commentariis quales Bernenses codices Nr. 45 et 370 continent. Quibus ex libris Weberus ad III 15 haec profert: *Arcum hic pro fornice posuit. Quod est notandum: nam Cicero ait* (Verr. I 7)*: 'Videt ad ipsum fornicem Fabianum'. Arcum autem nemo posuit nisi sagittarum aut Irim.* In M haec in angustum ut deducerentur hoc modo sunt circumcisa: '*Arcum hic pro fornice posuit. Arcum autem nemo posuit nisi sagittarum aut Iris.* Extrema uerba huius scholii fluxisse puto e commentariis quibusdam satis antiquis in Ciceronis orationes Verrinas. Nam ad ipsum locum qui in scholio adfertur Verr. I 7 *Videt ad ipsum fornicem Fabianum* scholiasta Vossianus ineditus quem a se tractatum esse scribit E. Spanhemius in dissert. de usu et praest. num. XII p. 458 et XIII p. 653 haec habet '*Arcus latinum non est*'. Atque haec quidem obseruatio cum haud dubie Ciceronis usum recte significet, iam primo post Christum saeculo prolata esse idcirco uix potest quia ab eo inde tempore plurimi scriptores *arcum* pro *fornice* dixerunt, quod Seueri aetate etiam in numis factum uidemus.

Haec postquam disputata sunt, additamenti instar nonnullos locos proferam, quos propter res quae in iis tanguntur commentari haud a re uideatur esse. Quae in explicandis supparis II 364 dicuntur '*suppara uestis quae superinduitur*' minime congruunt cum ceteris scholiis a Webero collectis, e quibus BC et VOSS. II Festum excerpserunt, qui re male intellecta supparum cum subucula confudit: neque Nonii XIV 20 explicationem uocis amplectuntur, qui inde putat dictum quod subtus appareat: sed secuntur Varronem L. L. V 131 qui solus quantum scio grammaticorum recte illius tunicae superioris nomen obsoletum exposuit. Quod ad scripturam a me impetrare non possum ut Nabero assentiar, qui in Frontonis ad Antoninum epistulis I 3 p. 97 Maium secutus *sipharis* scripsit propterea quod a Graeco σίφαρος ducatur. Nam mihi quidem non uidentur recte agere qui orthographiae leges ex etymologicis inuentis sibi fingunt. Scripturam *supparus* igitur quae bonorum exemplarium auctoritate defenditur retinendam censeo.

Iam uero cum in *suppari* explicatione scholiasten ratione ac iudicio usum esse uideamus, aliter res uidetur se habere in eo scholio quod est ad III 586 'APLVSTRA. *aplustra sunt partes armamentorum*'. De forma uocabuli supra iam diximus. Quod ad rem aut maxime uaria uocis fuit uis aut mirifica antiquitatis in explicanda uoce dissensio: quae qualis fuerit cognosci potest e scholiis ad hunc

Lucani locum a Webero editis et e scholis in Iuuenalis sat. X 136. In his enim haec explicatio extat: 'APLVSTRIA. *tabulatum ad decorandum superficium nauis adpositum. alii dicunt rostra nauis. ornamentum puppis. ἄφλαστα*'. In illis autem haec: '*aplustre uocabimus uel ipsum gubernaculum uel columnam illam in puppe quae tenet gubernaculum.* B. aplustre. *temonem.* VC. *est palmula remigii.* LC. *alii ornamentum nauis accipiunt, alii genus gubernaculi, multi genus remi.* BC. LB. LD. VOSS.' Quarum explicationum Boetticherus primam amplexus in museō archaeol. fasc. I p. 23 aplustre siue aplustrum dicit tabulatum in quo post diaetam erigeretur baculus (*στηλίς*) e quo penderet uelum (h. e linteum s. fascia, *ταινία*) quo motus uenti indicaretur. Aliud docet Festus u. '*aplustria nauium ornamenta quae, quia erant amplius quam essent necessaria usu, etiam amplustria dicebantur*', aliud Isidorus Origg. XVIII 7, 3 '*Trudes amites sunt cum lunato ferro quas Graeci dicunt aplustria*'. In tanta explicationum diuersitate ac dissensione non habeo quod pro certo ponam nisi illud, *aplustris* uocabulo omnibus antiquorum scriptorum locis quos noui utique armamentorum partem quandam significari. Quae pars qualis fuerit plerumque in ambiguo est, sed clarissime patet in Caesaris Germanici Arateis 345 492 624 688 sqq., ubi gubernacula Argoae nauis describuntur quae in caelo lucentia sub septentrione conspiciantur. Nec loci medii quod dicitur aeui scriptorum a Cangio collecti alium testantur usum sed ubique aplustre s. aplustrum pro gubernaculo positum habent. Huc adde uerba glossarii anglosaxonici Bruxellani s. x quae Ial archaeol. naual. I p. 166 excerpsit '*aplustra.* geredru. gereðor. *plur.* gereðru. *(uar. lect. geredu sing. gereda.):* et quae Papias uocabulista docet '*aplustre. armamentum nauis. uel uelum. supplementa nauis .i. conta & remi*' et quae sunt apud Ioannem Ianuensem '*aplustre stris gubernaculum nauis uel armamentum*' sqq. Suo igitur iure scholiastes Montepessulani exemplaris aplustra armamentis nauis adnumerauit.

In iis quae ad II 227 leguntur *exulibus Mariis* male explicatur '*i. e. militibus Marianis*', cum de Mariis patre et filio intellegendum sit. — In scholio II 401 Pisa Elidis et Pisae Etruscorum confunduntur. Fortasse excerpentis neglegentia aut parsimonia aliquid intercidit ut scholion primitus fuerit simile huius: '*Pisae urbs Tusciae. Pisa urbs Peloponnensium ubi Ioui Olympio ludi celebrantur.*' Nam in corrupta uoce *penolensium* quae in M extat haud dubie latet genetiuus *Peloponnensium* qua forma usus est Curtius VII 4, 32. — Scholion ad III 202 restituere temptaui secundum ea quae Valerius Flaccus VIII 217 256 de Peuce nympha ab Histro in antro conpressa solus quantum scio antiquorum narrauit. — III 205 corruptus est et mutilus locus. '*Pitanen. lidice ciuitas ab ama..... condita*'. In scholiis a Webero editis ad h. l. ascribitur '*ciuitas Laodiciae (Laodociae BC) ubi pinus plurimae nascuntur: nam Graece ἡ πίτυς pinus dicitur.*' Weberus *Laodiciae* in *Laodicenae* parum recte mutauit. Nam illa ciuitas Laodicea a Romanis cadente imperio *Ladicia* uel *Laudicia* dicta est ut licet cognoscere ex iis quae Schuchardtius in

uocalismo II 512 collegit: medio aeuo autem *Laodicia* dicebatur (cf. d'Achery spicileg. II p. 146) ita ut Vossianus pro aetate sua rectam exhibeat nominis formam. *Laodicine* autem regio Syriae est cuius nomen sic nemo protulit praeter Ptolemaeum geographum V 15. Itaque remouenda est Weberi coniectura et uidendum quid primitus scriptum fuerit. Pitanes nomen duae ferunt antiquitatis ciuitates altera Triphyliae altera Mysiae. Lucanus cum de Asia loquatur de illa certe non cogitauit. Itaque scholiastes si parum considerate ageret, de altera cogitans scribere poterat '*Pitane Elidis ciuitas*', sed opinor de altera cogitantem eum scripsisse '*Lydiae ciuitas*' confusis Lydiae et Mysiae nominibus, aut '*Aeolidis ciuitas*' cum ea Pitane quam Lucanus carmine tangit Aeolidis sit, quae quarta Mysiae pars est.

III 9 ea quae sunt '. . . . *tores qui equis uehi periti sunt*' suppleri poterunt hunc in modum: VECTONES. *quasi uectores quia equis uehi periti sunt.* Vettonum enim nomen male *Vectones* saepissime in libris scribitur atque Lucani ipse Montepessulanus habet *Ve*tonesque* a prima manu, *Vectonesque* a correctoris manu. Scholiasten sic scriptum nomen inuenisse ex etymologia apparet qua nomen a uehendo ductum esse uult, quae quidem ratio tota est ex ingenio antiquorum. *Vectores* cuius uocis uestigia in scholio extant, scholiasten in Lucani carmine inuenisse minime crediderim cum ea lectio non inueniatur in Lucani exemplaribus.

III 439 extat scholion: '*Vari sunt equi ceruinum colorem habentes.*' Agitur de rebus ad uenationem pertinentibus inter quas numerantur *uarae* i. e. furcae quibus retia subriguntur sicut scholia in BC LB VOSS. recte explicant. Vocabulum ipsum aliter quam in a terminatum apud antiquos scriptores quantum scio non inuenitur: ne apud mediae quidem et infimae latinitatis scriptores Cangio in us terminatum uidetur occurrisse. Unus est Papias cuius auctoritate forma *hic uarus* defenditur, nam in eius uocabulario (ed. Venet. 1496) scripta sunt haec: '*Varus dicitur septum ad capiendas bestias ubi raetia ponuntur uel pallium uarium*'. Quid igitur? Papias, quem scholiis in Lucanum saepenumero usum esse iam supra monuimus, cum hoc loco uteretur, deceptus est ni omnia fallunt eo quod scriptum inuenit uariſ̄ pro uariſ sicut in M exaratum est. Itaque delendum puto compendium supra litteram ſ positum ut pro uari ſunt fiat lemma VARIS. Sed quid de equis qui in reliqua scholii parte dicuntur? Breuis esse potero. Aut 'equi' hoc loco dicuntur pro 'furcis' ut 'ceruos' notum est dici a Vergilio Ecl. II 29 humiles habitare cauas et figere ceruos, cuius tamen usus non habeo ullum quod afferam exemplum: aut mendum latet in *equi* cuius medelam nondum repperi. 'Furcae' si extaret amplecterer: sed recipere in textum pro eo quod litteris bene exaratis extat non audeo: itaque locum intemptatum relinquo.

Falsum inest in uerbis scholii ad VI 303 *Sylla. dux Caesaris. qui primus cum duabus cohortibus occurrit Pompeianis.*' Nam illum cum duabus legionibus uenisse ipse Caesar est auctor B. C. III 51 '*P. Sylla quem discedens castris praefecerat Caesar*

auxilio cohorti cum legionibus duabus: cuius aduentu facile sunt repulsi Pompeiani.' Quae uerba fortasse ipsa cum non satis memoriae haererent errori uiam fecerunt. Aliis locis scholiasten uel grammaticum nostrum non deprehendimus corrumpentem deprauantemue ea quae ex Caesaris commentariis in scrinia sua transtulerat. In scholio ad VI 40 — ut exemplum ponam — solus secundum Caesarem B. C. III 43 refert uiginti quattuor castella esse communita a Caesare contra Pompeium ad Dyrrhachium castra habente, cum in codice Weberi VC triginta duo et in LB uiginti dicantur munita esse.

Haec fere habui quae de scholiis Montepessulanis dicerem id unum agens ut scholiorum in Lucanum historiae adcuratius cognoscendae quantulacumque fiat accessio.

SCHOLIA
IN
M. ANNAEI LVCANI BELLVM CIVILE.

LIBER I.

f. 2 a.

7. PILA. Pila sunt arma iaculor*um atque* [*telorum a tor-*
quendo uel emittendo *uocata.*

f. 3 a.

97. DOMINOS COMMISIT ASYLVM. Fecit dis- [cordes.

108. ARSACIDAE. Reges enim Persarum *ab*
Arsace nomin*ati sunt*
sicut Caesares a *Caesare, a Siluio*
Siluii. inde Arsacidae.

f. 3 b.

122. PIRATICA PROELIA. Piratica proelia [sunt
non solum nauium sed et
insularum. quae Pompeius
multa peregit.

f. 4 b.

222. FRACTI FLVMINIS VNDAS.
Vt VIRGILIVS 'Quibus omnis ab [alto
frangitur' et alibi 'frangitur
ac fisso transit praecordia li-
gno.'

f. 5 a.

228. TENEBRIS.
Tenebris a tenendo eo, quod tenent [umbram.

f. 7 a.

404. VARVS. Fluuius qui ex Ligustinis
Alpibus fluit in mare Tyrr*henum.*

f. 8 a.

473. MAEVANIA. Insula proxima H*iber*niae.

f. 9 a.

544. THYESTEAE — MYCENAE.
Atreus et Thyestes fuerunt
germani et inimici inter se.
facta autem ficta amicitia
mansit Thyestes cum uxore fratris.
frater uero fecit sibi epulas de suo
filio et propter hoc discessit ab il*lo sol.*

552. THEBANOS — ROGOS. Etheoclae et [Polynicae.

f. 9 b.

575. TELA LYCVRGI.
Lycurgus rex Thraciae
cum beneficium Liberi patris
hoc est uites abscinderet,

Variae scripturae libri Montepessulani H. 113. saec. X. (M) adieci aliquot locis uarietatem scripturae codicis Berolinensis 35 s. XIV (BC), Vossianorum duorum s. X (VOSS. I et II.) Bernensis 370. s. X (BERN.), qualem C. Fr. Weberus in scholiastarum collectione a. 1831 indicauit. — 7. suppleui ex Isidor. Origg. XVIII 7, 9. 108, 2 arſe *M* Arsace *scripsi.* 108, 3 sicut ciri a.... *M* Caesares a Caesare, a Siluio *scripsi secundum BC.* 108, 3 silur *M* Siluii *scripsi.* 122, 1 Pyratica prelia *M.* 222, 2 *Verg. Aen. I 160.* 222, 3 *Verg. Aen. IX 413.* 228. *scholion supra primam folii lineam est exaratum.* 404, 1 edigustinis *M* ex Ligustinis *scripsi* Tyrr.... *M* 473. h. nie *M* Hiberniae *scripsi ex Orosio I 2 et Papia s. h. u.* 544, 5 fnar. *M* fratris *scripsi.* 544, 6 dicessit *M* 552 theoclaeeę & polinicę *M.* 575, 2 lygurgus *M.* 575, 4 abſcider& *M* abscinderet *scripsi.* uitiſ *M*

inmisso furore se ipsum
occidit.

577. MEGAERAM. Furiam, uxorem quia [occidit.

580. CAMPO. Martio, ubi Syllae sepul- [chrum est.

598. MINERVAM. *Pal*ladium dixit: Minerua [enim *pal*ladium est.

604. ANCILIA. *A*ncilia arma sunt apud *u*rbem Romam in Capitolio, *q*uae quondam caelo lapsa *e*sse dicuntur.

f. 10 a.

625. OMENTA. Omentum membranum, quod continet intestinorum maiorem partem.

f. 10 b.

665. ORIONIS. *O*rion quidam puer cui [nomen *a*b urina inpositum est. postmodum uero uenator effectus cum uellet cum Diana concumbere eius sagittis occisus est et deorum miseratione relatus inter sidera.

LIBER II.

f. 11 b.

46. CANNARVM. Canna uicus est in Apulia ubi mul titudo Romanorum periit pugnante Hannibale.

50. MASSAGETEN. Massagetae sunt gens [Scythiae et dicti Massagetae quasi graues id est fortes.

f. 12 a.

70. EXVL LIMOSA MARIVS CAPVT ABDIDIT [VLVA. Sylla, dux Romanorum, iussus susci- [pe*re erat* bellum contra Metridatem in Asia. [Ma*rius,* qui septies fuerat consul, affectabat [ips*e illud* bellum peragere. Quo Sylla cognito [uir *impati-*ens cum quattuor legionibus contra [eum *iuit* uolens etiam Vrbem incendere. Ma- [ri*us uero* quoscunque potuit etiam seruilem [man*um spe* libertatis contra eum frustra arma*uit.* Qui mox post magnam caedem suorum [in Capito*lium fugit* et cum ibi esset oppressus iterum [fugiens *in* *M*inturnensium paludibus infeliciter [luto d*elituit* indeque protractus et Minturnas de- [duc*tus contru-*fusque in carcerem percussorem ad se [missum *solo uultu*

I. 598. *primae cuiusque uersus litterae cum marginis parte interierunt pariter atque* 604 *factum est.* 665, 7 Sydera *M.* II. 50, 1 Massagetes *M* Massagetae sunt *scripsi.* ſcitię *M* 50, 2 Massagetes *M* Massagetae *scripsi.* 70, 5 uiri..... *M* uir impatiens *suppleui sec. Oros. V 18.* 70, 8 etiam & *M.* 70, 12 interneſſiū *M* Minturnensium *Orosius.* 70, 13 dedu..... susque *M* deductus contrususque *Orosius.* 70, 14 carcere *M Versus qui sunt 70, 14 15 16 17 19 20 suppleui omnes ex uerbis Orosii V 18.*

exterruit. Deinde lapsus e uinculis in [*Africam*
transfugit collectoque exercitu con*tinuo* [*Romam*
reuersus Cinnae consuli societate sce- [*lerum iunctus est:*
qui continuo omnes socios de exilio [et uincul*is liberauit*
ciuitatemque ingressus plurimos con- [su*lares*
uiros interfecit et maximam partem [pleb*is*.

89. MAPALIBVS. Mapalia tabernacula pa- [storum *sunt*
uel parua aedificia Numidarum.

f. 12 b.

138. CAVDINAS. Caudinae furculae autem [ubi
multitudo Romanorum prostrata
fuit.

f. 14 a.

221. SALVS RERVM, FELIX HIS SYLLA VOCARI Syllam milites sui salutem uocauerunt.

225. MVLTVMQVE COITVR. Coeo et conuenio neutra sunt, sed [qu*ando*
faciunt passiua ex se pro coll*igo*
et exigo accipiuntur: sicut Prisc*ianus* [*dicit.*

227. EXVLIBVS MARIIS. i. *e.* militibus Ma- f. 14 b. [rianis.

266. SCELVS TVVM. ut eum occidas.

f. 15 b.

361. VELARVNT. uelatarum.

364. SVPPARA. Vestis quae superinduitur.

368. SALES. Saltatorum.

f. 16 a.

401. PISAE. .urbs Peloponnensium ubi Ioui Olympio ludi celebrantur.

406. CRVSTVMIVMQVE RAPAX. Crustumium opidum est in a*gro Sabino*.

f. 18 b.

578. PIRATA RELIQVIT. Maritimi latrones, qui eo tempore quo Sylla insequebatur Metridatem, exorti sunt, quos postea Pompeius deleuit.

LIBER III.

f. 23 a.

179. QVERCVSVE SILENTES. etenim propter nimiam altitudinem monibi flatus uentorum. [tis non sunt.

199. STRYMON. fluuius Thraciae.

202. MVLTIFIDI PEVCEN VNVM CAPVT AL- [LVIT HISTRI. Quia multis capitibus fluu*ius* Hister diuiditur, unde unum cap*ut* per ipsam Peucen insulam cur*rit*. dicitur enim tam adamasse P*eucen* [*nympham* quam accipimus in insulam f*uisse* mutatam.

205. PITANEN. Lydiae ciuitas ab †ama condita.

---

225. *haec respiciunt ad Prisc. VIII 27 (I 394 sq. Hertz.)* 401, 1 penolensiū *M* Peloponnensium *scripsi.* 406, 2 in, gr. . . . . *M* in agro Sabino *scripsi.* 578, 4 intiridate. *M* Metridatem *scripsi sec. schol. ad II 70, 3.* — LIBER III. 205, 1 lidice ciuitas *M* laodiciae *VOSS.* laodociae *BC* Laodicenae *Weberus* Lydiae *scripsi.*

208. ERRANTEM MAEANDRON.
per diuersa currentem
aut flexus facientem.
f. 23 b.
215. NINOS. id est Niniuen.
f. 24 a.
266. FECISSE DVOS.
Pars enim illorum erat
cum Caesare et pars cum Pompe*io*.
281. SVBSTRINGENS ARIMASPE COMAS.
Gens in Ponto quae dea*uratis*
bratteolis ornamenti *uice*
comas ambit.
f. 26 a.
413. CAESIS-TRVNCIS. in simulacra.
f. 28 a.
586. APLVSTRE. Aplustra sunt *partes*
armamenti.
f. 30 b.
755. NAVALIA. Stationem nauium.

LIBER IIII.

f. 30 b.
4. AFRANIVM ER PETREIVM.
Hi duces a Pompeio in Hispania re-
[licti fu-
erant, qui illis partibus praeessent.
9. VETTONESQVE LEVES.
*Vectones quasi uec*tores quia equis uehi
[periti sunt.
10. CELTAE MISCENTES NOMEN HIBERIS.
Gens Italiae mixta Hiberis qui sunt
Hispaniae. Celtiberia
iunctum nomen accepit.
15. QVEM PONS AMPLECTITVR ARCV.
'Arcum' hic pro 'fornice'
posuit. Arcum autem
nemo posuit nisi sagittarum
aut Iris.
f. 31 a.
20. VIX OCVLO PRENDENTE MODVM.
ut prope amplius sit quam possimus
intueri.
21. CINGA.
'Cinga' dictus a cingendo quod hos
[circuit
campos. Is autem non perseuerat
[usque oc*eanum*,
sed in Hiberum flumen cadit.
23. AVFERT TIBI FLVMEN HIBERVS.
Hiberus tibi nomen aufert qui terris
nomen praestat. Ab hoc enim
Hispania Hiberia
nomen accepit.
30. PRIMAE PRAESTANT ACIES.
Caesar noctis exordio primam aciem
hostibus opposuit quae resisteret.
34. TERRORQVE PVDORQVE.
Terror, ne periclitarentur si *Caesar*
occuparet hunc collem; pudor, *ne eru-*
bescerent, si amitte-
rent locum.
45. MVNITVMQVE LATVS.
Latus munitum, quod clipeo tege*batur*.

LIBER III. 281, 1 de a.....*M* deauratis *suppleui e VOSS. BC.* 281, 2 bratteolis *M* bracteolis *VOSS. II* baltheis *BC.* uice *suppleui e VOSS. II.* 586, 1 partes *coniectura suppleui.* — LIBER IIII. 4. *suppleui e BERN. II BC VOSS.* hyspania *M* fuerunt *BERN. BC* erant *VOSS.* duces *abest a BERN. II pro eo VOSS.* uidelicet. illis partibus *abest a BERN. II VOSS. BC.* 9. Vectones quasi Vec... *suppleui coniectura.* qui *M* quia *BERN. II.* 10. celtiber.. a *M* 21, 3 his autem *M* 21, 4 hyberum *M* 23, 1 Yberus *M* 30, 3 *hostibus suppleui e VOSS.* 34, 2 Sic... *M suppleui ut 34, 3 e VOSS. BC.* 45, 2 teg... *M* tegebatur *e BC.*

47. SVBDVCTO MARTE PEPENDIT.
Postquam subductus est Caesaris pe*des*, irritus pependit Pompeianus *miles*.
53. NON DVRATVRAE CONSPECTO SOLE [PRVINAE.
Quia mox soluuntur sole conspecto [propter ardorem suae lucis.

f. 31 b.

57.
*ue*ctor Helles. Helle enim *arie*te deuehebatur. unde in mare *dela*psa Hellespontiacum dicitur fretum. *uecta* est autem cum Phrixo fratre. [(Postquam)
56. POSTQVAM — TITANA RECEPIT.
i. e. Postquam coepit sol in Arietis signo esse. Dicit *autem i*dus Martias, quando initium est [ueris *tunc sol* de Piscibus in Arietem tran- [sit. (Atque)
58. ATQVE ITERVM AEQVATIS — TEMPORIBVS.
. . Atque *iterum*. duo sunt aequinoctia Librae [et Arietis. *hic ill*ud dicitur quod est VIII. Kal. [Aprilis. (Sole re*licto. re-*)
59. SOLE RELICTO.
cedens de eo signo in quo sol fuerat. [(Dubitanda
60. DVBITANDA REFVLSIT.
Dubi*tanda* ut Virgilius 'Aut uidet aut ui- [disse *putat* per nubila uultum'.
63. NABATAEIS FLATIBVS.
Nabataeae regio est Orientis, unde [Eurus nascitur.
71. IN SOLAM CALPEN FLVIT HVMIDVS AER.
Mons Hispaniae. adeo nec oriens nec septentrio nec meri- *dies hab*ebat imbres sed solus occi- *dens.*
83. PYRENAEAE. mons Hispaniae.
84. FLVXERE NIVES.
Niues aqua enim et sole soluuntur.
87. A RIPIS ACCEPIT AQVAS.
inundatae enim terrae dabant flumini- [bus undas. *sic fiebat,* ut acciperent a ripis aquas, [qui ri- *pis dare* consueuerant.

f. 32 a.

99. CONDIDIT VNA PALVS.
Tota enim Hispania palus erat *facta,* quae flumina contegebat.
104. RERVM DISCRIMINA MISCET.
Ut Virgilius 'Et rebus nox ab- [stulit atra colorem'.
107. NON SIDERA CAELO.
Aut caelo aut ipsius caeli.

47, 3 pompeians *M* Pompeianus *scripsi.* 56. *Peruerso ordine perscripta sunt in M ea, quae ad u. 56 57 58 pertinent (57 56 58). Quae perierant suppleui e VOSS. BC.* 56, 3 ... cep sol *M* 56, 5 do pisc. *M* 67, 4 fr&fr̃u *M* fretum *BC. VOSS.* Hellesponticum *BC. VOSS.* 57, 5 confixo fratro *M* cum frixo fratre *BC. VOSS.* 58, 4 quot *M* VIII. aprilis *M* VIII. Kal. Aprilis (i. e. Kalendarum Aprilis) *suppleui sec. Seruium.* 60, 3 *Verg. A. VI 454 ubi est* per nub. lunam. 71, 2 *sqq. suppleui e VOSS. BC.* 71, 4 hymbres *M* 87, 2 sqq. *suppleui e VOSS. BC.* 87, 2 fluminif *M* fluminibus *VOSS. BC.* 87, 3 ripis undas *VOSS. BC.* quas ripis dare *BC.* 99, 1 facta *suppleui e VOSS.* 104, 2 *Verg. A. VI 272.*

110. O SVMME PARENS MVNDI.
Petit a singulis poeta quod in eorum potestate est.
115. SED PELAGI REFERANTVR AQVIS.
Ut his occurrat mare et, dum se [*ingredi*
prohibet, terras eos faciat inunda*re*.
116. LAXET ITER FLVVIIS.
Laxet iter. fluuius omnis ripa sol*uatur*.
126. DISCESSIT AB ASTRIS.
In astris enim locus flammae esse [ui*detur*.

f. 33 a.

206. TRADITA VENVM. uenundandum.

f. 35 b.

380. NON AVRO MVRRAQVE BIBVNT.
Murra gemma est quae ex oriente nascitur. humor enim sub terra ex calore durescit in morem crystalli et habet purpureum colorem.

f. 36 b.

439. DISPOSITIS ATTOLAT RETIA VARIS.
Vari sunt equi ceruinum colorem habentes.
449. ANTIQVA PARAT ARTE CILIX.
Aut nomen proprium. aut forte homo de Cilicia uel more illorum ingeniosus.

f. 40 b.

769. CVRIO. Curio cum suis contem-*pserat hostes*. ubi autem qui sibi e ..... †parauerat, triplici [contra *maiore perculsus* est terrore quam antea.

f. 41 a.

800. SIGNIFER. Signifer ferens uexill*um*.
810. NVLLO CONTECTVS CVRIO BVSTO.
Quoniam ipsis uictoribus non est cu*ra* interfectos sepelire.

LIBER V.

f. 41 b.

27. IMPERIVMQVE COMES.
Hic adiungitur commune nomen neutro genere. sicut dicit Pris*cianus*.

f. 44 a.

188. VIX INVENIT APPI.
Quia multa alia in mente habebat, idcirco uix recordabatur istius Appii.

f. 44 b.

223. REDIERE FVTVRA. uentura.
228. HEV. est interiectio dolentis.
229. TOT MVNDI CARVISSE MALIS.
Scilicet quia omnis orbis turbatur et tu solus pacem quaeris habere.
233. TVMIDIS INFESTA — NVMINA.
dea fastidiencium. (*m. saec.* XI)

f. 46 b.

396. LAETAE IVRANTVR AVES.
In passiua significatione est positum. sicut dicit Priscianus.

LIBER IIII. 115, 2 sq. *suppleui e VOSS. BC.* in se ingredi *VOSS. BC.* 116, 2 suppleui *e VOSS. BC.* 380, 3 umor *M* 380, 4 & culore *M* 380, 5 cristalli *M* 769, 1 comtem ... *M* contempserat hostes *e coniectura scripsi* sicut 769, 4. 810. ipsi uictores non ē *M* ipsis uictoribus *corr. m.* — LIBER V. 27. *respicit Prisc. institt. V 25 (I 157, 14 Hertz)* prīc̄ *M.* 223 et 228. *eadem manu qua carminis uerba scripta sunt.* 229, 5 abere *M.* 233, 2 *a manu s. XI est.* 396, 2 sq. *respicit Prisc. institt. XVIII 247 (II 331, 22 Hertz)* significāt *M* prīc̄ *M.*

f. 47 b.

477. PARTES IVSSERE RELICTAE.
Quia maxima pars excercitus Caesaris remanserat Brundisio cum Antonio.

f. 48 a.

507. VIGILES — SECVNDOS.
Quia primi per duas horas uigilauerant.

f. 49 a.

589. TE CREDE POTITVM. pro 'potiturum'.

f. 51 a.

719. FRVSTRA TEMPTATI LITORA LISSI.
Quia multi ex ipsis ibi perierunt a militibus Caesaris.

LIBER VI.

f. 52 a.

7. ALEA FATI.
Alea quasi bellum, quod alterum facit uictum, alterum uictorem.

f. 52 b.

40. DISPONIT CASTELLA IVGIS.
Quia XXIIII castella ibi fecit.

42. INDAGINE CLAVDIT. Gyrus.

45. FLVMINA TOT CVRSVS — FATIGANT.
Quia omnia flumina obturauit Caesar, per quae stipendia ueniebant Pompei.

f. 53 a.

58. LONGAE — MALEAE. pro 'longinquae'.

80. MAIOR CVRA. Ne fame exercitus pereat.

f. 54 b.

179. STRIDENT. *stri*do uel strideo.

185. BELLŌ VINCIT. bellantibus.

f. 56 a.

303. SI TIBI SYLLA LOCO.
Sylla, dux Caesaris, qui primus cum duabus cohortibus occurrit Pompeianis.

311. SCIPIO. nepos Scipionis.

f. 56 b.

350. AEQVOREI — ACHILLIS. quod natus [Thetis fuit.

354. HERCVLEIS — PHARETRIS. *sagittas* [Philoctetae dedit.

357. ECHIONIAS. ab Echione.

f. 57 a.

365. MACVLATVS SANGVINE NESSI.
Nessus gigas, qui eo quod uiciauit [uxorem Herculis occisus est ab ipso iuxta Euenum.

368. PASCVA PHOEBI. Pro interfectione [Cyclopum.

376. TITARESVS. Quem Titaressum superi non audent. [peierare

392. LERNAEAS. a Lernaea palude.

f. 57 b.

427. DODONA.
*In Do*dona erant ollae dedicatae, *ex* quibus homines responsa *accipi*ebant.

430. SED FAS ERAT. Sed licitum erat inquirere.

LIBER V. 477, 3 cĩf *M* Caesaris *scripsi.* — LIBER VI. 42 go·gas *M* gyrus *scripsi.* 179 *vespicit ad Prisc. instit. VIII 95 (I 443 Hertz) et VIIII 45 (I 481 H.)* 303, 2 ceĩ *M* 354 ... asphilotete *M* philoctete *m.* 357 echiones *M* echione *m.* 365, 2 erc... *M* 365, 3 i^{u}xta e^{u}nenum *M* 368 ci clopū *M* 427, 2 sqq. *coniectura suppleui.*

f. 60 a.

588. QVID CORPORE MAGNI PROIECTO [RAPIAT.
i. e. aut magica arte auertat
aut ex his aliquid rapiat.

f. 61 a.

679. MEMBRANA CERASTAE.
masculini generis. 'hic cerastes'.
689. STRIX NOCTVRNA.
Strix nocturna auis
habens nomen de sono uo*cis*.
quando enim clamat, stri*det*.

f. 62 a.

697. RECTOR TER.
uel Minos.

f. 62 b.

811. ET DVCIBVS TANTVM DE FVNERE [PVGNA EST.
Sed ipsi putant bellari pro regno.

LIBER VII.

f. 65 a.

114. QVANTVM SCELERVM.
id est cum quanto scelere.

f. 65 b.

149. IN AEGIDA. 'aegis, aegidis'.

f. 67 a.

269. NEC SANGVINE MVLTO.
i. e. non est opus ut multum sanguinem effundatis, si regnare uultis.

f. 72 b.

685. INFIDA. Scilicet quia et in prosperis et in aduersis fuit illi aequalis fortuna.

f. 73 a.

701. QVO PECTORE ROMAM INTRABIT.
i. e. eo animo miserere tui soceri nunc, quo misertus es, quando a Roma discessisti et eam Caesar intrauit.

f. 75 a.

855. MAIORVM. VERTAMVS BVSTA LICEBIT. LICEBIT] pro quamquam accipitur hic ut dicit Priscianus in II. de con- [structione.

LIBER VIII.

f. 77 b.

180. ARCTOPHYLAX.
'Artophylax' dictus eo quod *Arc*ton id est Vrsam sequitur. ipse *dicitur* et 'Bootes'. ſignum multis [spec- *tab*ile [*stellis*].

f. 80 b.

407. OEDIPODIONIAS — THEBAS.
.... cuius uiciauit. e matre eius *duo*s filios habuit. (a man. saec.
f. 81 a. [XII.)
458. VNDAE DIVA MEMOR PAPHIAE.
i*d est* 'apud Paphiam na*ta*'.

LIBER VI. 689, 3 sq. *ex Isid. Origg. XII 7 suppleui.* 811, 2 putant^{r} *M* putant *scripsi.* — LIBER VII. 855 *respicit ad Prisc. institt. XVIII 173 (II 287 Hertz).* 855, 3 in coniunct̄ *M* in II. de constructione *scripsi.* — LIBER VIII. 180, 2 arctophilax *M* 4 spectabile *M* spect. stellis *suppleui ex Isid. Origg. III 70, 8.* 407, 2 matre *M* e matre *scripsi.*

LIBER VIIII.

f. 99 a.

954. AMORE NOTATVM AEQVOR.
Hero. Leander.

LIBER X.

f. 104 a.

187. FASTIBVS ANNVS.
Pro errore dixit Lucanus hic 'fastibus' cum 'fastis' debuerat dicere de annalibus. sicut dicit [Priscianus. nam quando a 'fastidio' uerbo uenit, quartae est declinationis.

LIBER VIIII. 954 ero *M.* — LIBER X. 187, 2 sqq. *respiciunt ad Prisc. institt. VI 72 (I 256 Hertz).*

3 2044 055 004 78

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

OCT 23 1968 ILL

130154

319302

OCT 17 '70 H

CANCELLED

WIDENER

FEB 1 0 3 2001

BOOK DUE

CANCELLED